



**G**Alba filius fuit Diuitiacci regis Belgicæ potentissimi, qui etiam Britanniam suo regno adiecerat. Patre autem eius mortuo, Galba in locum eius substitutus fuit. erat enim adolescens fortitudine & iustitia apud Germanos conspicuus. Præerat autem Galba ijs Germanis qui olim Rhenum inferiorem transierant, atque Gallis expulsis (qui ea loca incoluerant) ibidem propter loci fertilitatem confederant. Cum autem postea Iulius Cæsar cum exercitu adesset, atque Romani Imperij fines dilatare cupiens, Belgas bello aggredi stituerat, Bellouaci, Suefsiones, Neruij, Atreabates, Ambiani, Morini, Menapij, Caleti, Verocasses,

Veromandui, Catuaci, Condrusi, Eburones, Cœresi, & Pæmani, qui uno nomine (ut Cæsar libro secundo testatur) Germani appellabantur, fœdus inierunt, atque armis suam libertatem tueri contra Romanos proposuerunt, totius autem huius belli summam Galbæ Suefsionum regi, omnium horum populorum uoluntate deferebatur. Is enim dignus uisus erat, qui ob iustitiam, prudentiam, & belli usum omnibus confœderatis præesset. id quod factum fuit Anno ante Christum nato, quinquagesimo. Itaque Galba sua oppida quorum duodecim erant, diligenter communiuit, atque ex suis quinquaginta millia pugnatorum armauit, præter confœderatorum auxilia. Cum autem Galba diu cum Cæsare bellum gessisset tandem cum eo pacem sanciuir, & populi Romani amicus factus est. duos etiam filios Cæsari obsides dedit. hac ratione factum, ut in pace postea suos subditos gubernarit, atque pro-

uinciam totam legibus & ædificijs plurimum adornarit, No-

uioduni regiam suam constituens.

L. Cæsar,